



Simulación y protección a la libertad de contraer

PETER HUIZING

Ad speciem facti. Die 8 maii 1941 actor matrimonium contraxit, annos natus viginti octo. Mense aprili 1961 a tribunali metropolitano petivit declarationem nullitatis eiusdem matrimonii, 47 vel 48 annos natus. Die 4 februarii 1963, post 22 menses, quando actor iam 49 vel 50 annos complevit, tribunal matrimonium nullum declaravit. Die 31 martii 1964, post plus quam 13 menses, tribunal secundae instantiae sententiam reformavit; actor iam superavit 50 vel 51 annos. Demum, die 15 iunii 1966, «Paulo PP. VI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno tertio» —nonne hodie reverentia Papae debita requirit, ut huiusmodi formulae, in omnibus linguis modernis obsoletae, omittantur?— post elapsos ab initio processus quinque annos et duos fere menses, actor, in aetate 53 vel 54 annorum, a Romana Rota obtinuit sententiam definitivam, qua matrimonium eius nullum declaratur.

Ad 1. Utique notio defectus consensus matrimonialis est notio generica, quae com-

prehendit plures species defectuum consensus matrimonialis; ut sunt exclusio obiecti, scilicet matrimonii contrahendi; vel exclusio elementi eius essentialis; vel mera absentia voluntatis matrimonii contrahendi; vel absentia voluntatis circa elementum essentialis matrimonii. Condicio non verificata defectibus consensus matrimonialis adnumerari non solet; nisi sic dicta 'condicio contra matrimonii substantiam'; quae tamen condicio non est, sed directa exclusio elementi matrimonii essentialis. Vis et metus, si revera consensum matrimonialem irritant ex solo positivo legis praescripto, ipsum autem actum consensus quoad substantiam intactum relinquunt, in ordine logico defectus consensus dici nequeunt, cum nullum elementum essentialis in ipso consensu deficiat. In ordine logico defectus ex vi et metu potius est impedimentum a iure statutum. Ordo autem iuridicus non sequitur ordinem logicum notionum abstractarum. In systemate iuridico defectus ex vi

et metu merito subsumitur sub categoria defectus consensus, et non sub categoria impedimenti, quia normae iuridicae, quae de defectibus consensus valent, valent etiam de defectu ex vi et metu; non autem normae iuridicae, quae de impedimentis valent. Et hoc est criterium logicum iuridicum in systemate iuridico. Incapacitas implendi obligationes essentielles matrimonii, v. gr. ob nymphomaniam incurabilem, iuxta recentem iurisprudentiam rotalem habet vim matrimonium irritandi; et quidem, ut videtur, irritandi consensum, ita ut inter defectus consensus recenseri debeat. Tamen, ut eadem iurisprudentia expresse admittit, talis incapacitas non necessario tangit essentialiam ipsius actus consensus matrimonialis. Ille actus, tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis, integer manere potest. Mulier, quae patiebatur nymphomania incurabili, et matrimonium contraxit ducta spe, ut in matrimonio fidem marito servare posset, proinde sincere fidelitatem promisit atque omnino servare desideravit, at eheu spe fefellit, dici nequit non praestitisse consensum integrum; imo iniustum est hoc dicere. In ordine logico huiusmodi incapacitas non est defectus consensus. In systemate quoque iuridico huiusmodi incapacitas potius inter impedimenta —iuris naturalis— recensenda esse videtur; quia in casu valent normae de impedimentis iuris naturalis, maxime eae quae impotentiam coeundi respiciunt; potius quam normae de defectibus consensus. Incapacitas praestandi consensum distinguenda est ab incapacitate praestandi obiectum consensus.

Forsitan iudices primae instantiae non ita imprudenter proposuerunt dubium genericum solvendum: «An constet de nullitate matrimonii ex capite defectus consensus

mulieris». Etenim, ut ipsa sententia rotalis notat, in quibusdam casibus haud facile determinatur an matrimonium sit nullum ob consensum fictitium aut ex capite vis et metus. Imo sententia animadvertit hanc causam, quae de facto enodata fuit sub aspectu totalis simulationis, enodari potuisse, et quidem optime, sub aspectu defectus ex vi et metu. Iudices primae instantiae, id forte iam inde ab initio processus intuentes, ideo genericum statuerunt dubium, utrique capiti aptum. Saltem implicite seu in obliquo sententia rotalis admittit, matrimonium in casu nullum declarari potuisse ob duplex caput nullitatis, tum exclusionis matrimonii ipsius, tum defectus consensus ex vi et metu. Sunt, ut notum est, qui negant haec duo capita nullitatis simul stare posse; imo non desunt decisiones rotales quae hanc sententiam amplectuntur. Defectus enim consensus ex vi et metu, ita illi, supponit consensum revera datum fuisse. Proinde, si sub influxu vis et metus consensus internus reapse defuit, causa agenda est de exclusione matrimonii ipsius seu de sic dicta simulatione totali, non de defectu ex vi et metu. Mihi praeplacet sententia praesentis decisionis rotalis, scilicet haec duo capita nullitatis se invicem minime excludere. Secus enim, si causa movetur de defectu consensus ex vi et metu, et morali certitudine constat adfuisse illum metum qualificatum, a iure requisitum ad consensum nullum declarandum, gravem scilicet, ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium; attamen non morali certitudine constat, internum consensum revera praestitum fuisse; sententia deberet sonare: 'non constare de matrimonii nullitate'. Idque dum de facto certo omnino constat de nullitate matrimonii. Etenim, aut sub influxu vis et metus con-



sensus quoque internus praestitus fuit, nullus utique; aut sub influxu eiusdem metus consensus tantummodo externus prolatus fuit, profecto pariter nullus. Et tamen, semper iuxta aliquorum sententiam, in tali casu nullitas, quae certo adest, probari non posset; quia non probatur defectus ex vi et metu, et non probatur exclusio matrimonii ipsius. Quod vix ac ne vix quidem admitti potest! Potius, si causa agatur de defectu consensus ex vi et metu, et morali certitudine constat omnia elementa illius defectus, a iure requisita, adesse, nihil refert utrum consensus externe tantum prolatus fuerit an etiam interne praestitus: matrimonium certo nullum est declarandum.

Ad 2. Ut hic dicitur, in regionibus africanis, ubi matrimonium in causa contractum est, consensus matrimonialis, potius quam a partibus ipsis, a parentibus vel tutoribus praeberi solet. Puellae praesertim, ante nuptias celebrandas, saepe ignorant sponso suos. Quod ad apertum et publicum modum agendi seu ad ordinem externum iuridicum attinet, haec vera sunt. Attamen memini me, quando Romae docebam, saepius audivisse ab alumnis africanis —inter quos etiam presbyter erat qui iam per duodecim annos officio parochi in propria patria functus erat— parentes et tutores, iuxta intimam conscientiam illarum gentium, obligatione teneri non tantum bonum sponsum pro filia eligendi, sed etiam rationem habendi inclinationis puellae. Haec quidem numquam explicitis verbis mentem suam aperire potest, neque id desiderat, utpote moribus contrarium; tamen parentes vel tutores, antequam de matrimonio conveniunt, nomen electi sponsi puellae communicare solent, et deinde expectare reactionem eius, utrum sit contenta et laeta, an e

contra tristis et inquieta. Si parentes vel tutores filiam, contra eius voluntatem, ad matrimonium contrahendum cogere velint, alii propinqui familiae conabuntur parentes vel tutores a pravo proposito amovere. Ratio profunda auctoritatis parentum in matrimoniis contrahendis, ita illi, non est quod parentibus agnoscitur potestas arbitrarie de filiis disponendis; e contra: illis gentibus persuasum est hoc: parentes, qui filios amant, eos felices volunt, et experientiam vitae habent, securius ac tutius bonum sponsum eligere vident quam filia ipsa, vitae inexpers. Ceterum, etiam in regionibus europeis christianis per plura saecula similes vivebant mores similiaque principia ethica. Inter ipsos Africanos modernos controvertitur, utrum conveniat necne recipere mores europeas modernas, relinquendo puellis plenam libertatem in sponsis eligendis, exclusa omni auctoritate parentum.

Id autem constat, sponsum, actorem in causa, et fratrem sponsae, conventae in causa, iniustam omnino vim sponsae intulisse; idque etiam in aestimatione ethica propriae gentis.

Ad 3-6. Sententia rotalis ex Actis haec ut certo probata affert: puella, quando novit defectus physicos sponsi, statim dona eius recusavit; publice de eo ridebat; bis sponsum recusavit; fratri dicere curavit se non velle illum sponsum; publice quidem sacramentum matrimonii recepit, at in corde noluit; in via ab ecclesia ad domum sponsi, ipsa recusavit longius ire; dicendo se non velle; necesse fuit cogere illam, imo propulsare; vita communis —si talis vita dici licet communis!— valde brevis fuit; ambae partes testantur matrimonium numquam consummatum fuisse; *Species facti* addit: paulo post nuptias mulier virum deseruit,

posteaque aliis viris se iunxit, numerosas generans prolem. Quae profecto sufficiunt ut certo constet de exclusione ipsius matrimonii a parte mulieris; quae simulatio in lingua canonistarum dici solet. In casu vix dici potest mulierem simulasse consensum. Omnibus clarum fuit mulierem, tum ante matrimonium contrahendum, tum in matrimonio celebrando, tum post matrimonium contractum a matrimonio abhorrere illudque omnino nolle. Quando ipsa in ecclesia forte protulit verba, quae per se consensum significant, omnes sciebant ipsam, nolens et non consentiens, cedere voluntati fratris, minime autem exprimere velle proprium consensum in matrimonium ipsum.

Sane mirum videtur, tribunal secundae instantiae iudicasse non constare de nullitate matrimonii in casu; seu huiusmodi 'matrimonium' in foro Ecclesiae forsitan esse validum! At multo magis mirum est quod mulier, sorti suae tristi relicta, nullum auxilium ab ecclesia recepisse videtur, neque ante neque post matrimonium contractum. Quid dicendum de parcho, qui huic matri-

monio adstitit? Et quidem non sub aspectu ethico vel morali, sed stricte canonico? Num ipse cogitavit huiusmodi matrimonium validum esse in iure ecclesiastico? Si minus, quo iure adstitit? Prohibetur assistere nisi ipsi constet nihil validae et licitae celebrationi obsistere. Et si aliquis parochus tamen, etsi illegitime, matrimonii celebrationem admisit, nonne adsunt remedia canonica ad mulierem e conditione sua tristissima liberandum? Nonne adest ibi quoque sacerdos, qui, officio fungens promotoris iustitiae, ipse statim ex officio petere potuit declarationem nullitatis huius matrimonii, et quidem ratione boni publici communitatis catholicae, ut omnibus constaret Ecclesia catholica non admittere talia matrimonia ut valida?

Sententia rotalis recte iudicavit. At fatendum est in hac tristi historia praxim canonicam defecisse, et graviter. Revisio iuris parum iuvabit, nisi praxis ipsa canonica insimul ita reformetur, ut catholicis, in talibus circumstantiis versantibus, multo citius efficax auxilium secure praebeat.